

## Petrus Ricardus maecenati suo S. (D.)

Profecto ingratitude accusandus sum, qui tanto temporis intervallo, magis (ut aiunt) mutus piscibus,<sup>1</sup> ne tantillum quidem literarum ad te dederim. Certe tibi ascribenda culpa meis moribus plus aequo obsecundanti: tam benigne mecum agis, tam familiariter te utor, ut verear tuae auctoritati, qua prae ceteris in reipublicae fastigio collocatus fulges, aliquid infima mea sors detrahat ac iuxta Platonium illud: Τοῖς ἀνίσοις τὰ ἴσα ἄνισα γίγνοιτ' ἄν,<sup>2</sup> inaequalibus aequalia fiant inaequalia. Cum autem tuto Graecorum testante proverbio: ἀναγκαϊότερον πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος<sup>3</sup> (magis necessarius quam ignis aut aqua amicus) necessum<sup>4</sup> est praecipue inopia laborantes amicos habere, quibus fruantur, qui vacillantes suffulciant, maxime illum γυμνὸν<sup>5</sup> ἄτερ κόρυθος τε καὶ ἀσπίδος οὐδ' ἔχεν ἔγχος,<sup>6</sup> qui galea simul et clypeo nudatus et hasta impetuosam et fortunae et hominum saeviciam ferre nequeat, in qua parte tu mihi semper fideliter constantissimeque affuisti, atque ut denuo Homericam usurpem verba:

πρόσθε δ'έμοι<sup>7</sup> δόρυ τ' ἔσχε καὶ ἀσπίδα πάντοσ' εἴσην<sup>8</sup>  
undique protexit me hasta clypeoque rotundo.

Facis pro tua humanitate ingeniique dexteritate ac integro erga literarum cultores amore, quo eque omnes tibi in hac re familiares arctissime complecteris, verum nullum magis quam me. Etsi inter hos sim tamquam noctua ad solem, incitas tamen, et non solum incitas sed et adiuvas, quo mihi facilis via<sup>9</sup> ad bonarum literarum, praecipue Graecarum, adyta pateat<sup>10</sup>. Tu, inquam, capescendae eruditionis ansam praebuisti duplici stipendio ascribi faciens, nimirum cogitans uno non sat esse conquirendorum librorum profusioni praeceptorumque Graecorum precio, quibus nec maxima quidem largitio satisfacere posse videtur. Omnia haec subministrasti, tibi igitur agenda gratiae, tibi omnia accepta ferenda. Insuper fortunae meae adversae mutationem cui potissimum adscribam quam tibi? Qui causa mei discessus exitisti, ex quo extinctum iri arbitror inexplebile civium ferme omne odium, quod nimis profecto pueriliter tumultuando in me concitaveram. Resipui nuces reliqui:

Συγγνώμη τῷ πρώτον ἀμαρτάνοντι  
Venia primum delinquenti.<sup>11</sup>

Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν εἰσκρούειν λίθον  
Iterum ad eundem turpe lapidem offendere.<sup>12</sup>

Et de hiis satis.

<sup>1</sup> piscibus *ms* : pisci *Büchi*. – Erasm. *adag.* «*Magis mutus quam pisces*» (ASD 2.1, n° 429, p. 502-504).

<sup>2</sup> Pl. *Leg.* 6,757a.

<sup>3</sup> Plut. *Quomodo adul.* 51.B.4-5.

<sup>4</sup> necessum *ms* : necesse *Büchi*

<sup>5</sup> γυμνὸν *corr. Büchi* : γυμνός *ms*

<sup>6</sup> Hom. *Il.* 21,50.

<sup>7</sup> δ'έμοι *ms* : δέ οι *Büchi*

<sup>8</sup> πάντοσ' εἴσην *ms* : πάντοσ' *Büchi*. – Hom. *Il.* 5,300; 17,7.

<sup>9</sup> facilis via *ms* : facile omnia *Büchi*

<sup>10</sup> pateat *ms* : pateant *Büchi*

<sup>11</sup> Erasm. *adag.* «*Venia primum experienti*» (ASD 2.2, n° 861, p. 382).

<sup>12</sup> Erasm. *adag.* «*Iterum eundem ad lapidem offendere*» (ASD 2.1, n° 408, p. 484).

Ut autem vigiliarum mearum te participem faciam, haec, quae apud Strabonem de Elveciis reperi (accipe lib. 4), ita tradit:

φασὶ δὲ καὶ πολυχρύσους τοὺς Ἐλουητίους, μηδὲν μέντοι ἦπτον ἐπὶ ληστείαν τραπέσθαι τὰς τῶν Κίμβρων εὐπορίας ἰδόντας.<sup>13</sup>

Dicunt et auro abundare Elvetios, nihilominus se ad latrocinia convertisse Cimbrorum divitias admiratos.

Deinde multa addit<sup>14</sup>, quae ex lib. I commentariorum Caesaris videtur mutuo accepisse. Quem librum velim omnibus Helveciis notum esse, in quo agros nostros sane aptissime definit,<sup>15</sup> bellum contra eos gestum<sup>16</sup> et, quo maxime gloriatur, tabulas Graecas in eorum castris a se repertas asserit.<sup>17</sup> In fine IV. libri:

καὶ τὰ ἐπιστρέφοντα πρὸς νότον Ῥαιτοὶ καὶ Οὐινδελικοὶ κατέχουσι συνάπτοντες Ἐλουητίους καὶ Βοίοις.<sup>18</sup>

Vergentia ad meridiem Rhaeti et Vindelici incolunt Elvetiis Boisque contigui.

Et paulo inferius:

ἢ τὴν λίμνην τὴν Λημένναν<sup>19</sup> εἰς τὰ Ἐλουητίων πεδία κάντεῦθεν εἰς Σηκοανούς.<sup>20</sup>  
vel lacum Lemannum ad Helvetiorum agros et inde in Sequanos.

Lib. 7<sup>21</sup> in principio:

Ἐἴτ' ἐπὶ<sup>22</sup> Ἐλουητίους πολυχρύσους μὲν ἄνδρας, εἰρηναίους δέ.<sup>23</sup>

Dehinc ad Helvetios viros auro abundantes at paci deditos.

Multo<sup>24</sup> plura de alpibus, Toygenis, Tigyrenis, Rheno, Iurasso, Rhodano et aliis disserit, quae brevitati studens omittenda censeo. Haec ideo scribere libuit, quoniam domestica lectione autorem hunc Graecum geographorum absolutissimum evoluimus.

Praeterea, quae mihi sit sententia menti, aut quem vitae scopum attingere coner, ex literis, quas D. decano Gulielmo de Pratoromano<sup>25</sup> misi, intelligere poteris, iussu meo ille tibi omnia explicaturus est.

---

<sup>13</sup> Strab. 4,3,3.

<sup>14</sup> addit ms : addidit Būchi

<sup>15</sup> Cf. Caes. Gall. 1,2,3, id hoc facilius iis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit, altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios, tertia lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit.

<sup>16</sup> Cf. Caes. Gall. 1,2-29.

<sup>17</sup> Cf. Caes. Gall. 1,29: In castris Helvetiorum tabulae repertae sunt litteris Graecis confectae et ad Caesarem relatae, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes mulieresque.

<sup>18</sup> Strab. 4,6,8.

<sup>19</sup> Λημένναν corr. Būchi : Λιμένναν ms

<sup>20</sup> Strab. 4,6,11.

<sup>21</sup> Lib. 7 ms : Lib. II Būchi

<sup>22</sup> Ἐἴτ' ἐπὶ ms : Ἐντεῦθεν Būchi

<sup>23</sup> Strab. 7,2,2.

<sup>24</sup> Multo ms : Multa Būchi

<sup>25</sup> Pratoromano compl. Būchi : Pratoro ms

Vale basilice. Luteciae Parisiorum, VI. Calend. Ianuar. M.D.XIX.

Thomas Schnewli, Rudolfus Praderwan et Jacobus Ernst plurimam tibi optant salutem.  
Στράβων γεωγραφικῶν βιβλίω<sup>26</sup> δεκάτῳ:

Οἱ ἄνθρωποι μάλιστα μιμοῦνται τοὺς Θεοὺς ὅταν εὐεργετοῦσιν.<sup>27</sup>  
Mortales tunc maxime deos imitantur, quum beneficii sunt.

*Illustri equiti aurato D. Petro Falconi, optimati aequissimo.*

---

<sup>26</sup> βιβλίω *ms* : βιβλίων *Büchi*

<sup>27</sup> Strab. 10,3,9: Εὖ μὲν γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, τοὺς ἀνθρώπους τότε μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσιν.